Laicorũ quorundã malicijs ⁊ temerarijs ausibus (qui sępe circa elemosinarũ quę pro animabus xp̄ifideliuꝫ defunctorũ in parrochialibus ⁊ alijs ecclesijs nostrę diocesis in certis festiuitatibus per eosdẽ laicos quos bacinerios vocant/colligũtur distributionẽ: missarumq̄ trentenariorꝫ/necnon aliarum/celebrationẽ: falcem in messem alienam mittere presumẽtes cõmittuntur. Qui proprios curatos odio habẽtes: quia eorum forsan ex suo officio corrigunt errata: dictas elemosinas in eorum preiudiciũ ad suę libitum voluntatis distribuere. Et clericos quãdoq̄ ipsis curatis nimis infestos ad dictas missas celebrãdas in eorum ecclesijs eis inuitis ex industria conducere: aut saltem earum celebrationẽ in dictarũ preiudiciũ animarũ nimiũ retardare conantur) obuiare volentes: sancta sinodo approbante statuimus: q̄ dictę elemosinę quę per prędictos bacinerios titulo animarum purgatorij querũtur: in missarum/aut anniuersariorum celebratiõibus per curatum

elemosinę aĩarum purgatorij nõ per laicos sed per clericos distribuantur

et clericos cuiuslibet parrochialis ecclesię nostrę diocesis distribuantur cum ipsius bacinerij interuentu: vbi consuetudo non est: q̄ eo excluso per eosdem curatum ⁊ clericos dicta distributio fiat. Quibus aut ipsi curato tantũ in ecclesijs vbi alij clerici non sunt: de dictis elemosinis respondere: ⁊ saltem in fine cuiuslibet anni rationes reddere: sub pena expulsionis a diuinis donec satisfaciat: teneat. Qđq̄ nullus presbyter in aliena parrochia sine nostri/aut proprij curati: vel eo absente animarũ curam regentis expressa licencia celebrare presumat. Alias emolumentum perdat: quod secundũ loci consuetudinem de tali erat celebratione habiturus. Quod dictus curatus ab eodem vel alijs qui ad eius solutionem tenebuntur/exigere possit: in proprios vsus conuertendum. Pena nihilominus per nos/aut officiales nostros moderãda puniendus. Sed si alicuius vltimę voluntatis executores dictorum trentenariorũ vel alias missas: infra quinquaginta dies cõtinuos diem mortis testatoris qui ad earum celebrationem terminum non prefixit: vel eo elapso immediate sequentes: celebrare non fecerint cum effectu: liceat eis elapsis proprio ipsius defuncti curato: aut illius ecclesię apud quam sepulturam elegerit: eas q̄citius poterit celebrari facere.

executores testamẽtorꝫ intra certum tempus cõpellantur implere legata

Licet antiquorũ patrum regulę sint reuerenter iuxta sacrorum statuta canonum et inuiolabiliter obseruãdę. Non tamen credimus reprehensibile/neq̄ ab eisdem canonibus alienũ: si secundũ varietatem temporũ statuta quandoq̄ varientur humana: pręsertim cum vrgens necessitas/vel euidens vtilitas id exposcit. Hac igitur consideratione vt credimus inducti: tam recollendę memorię dominus Alfonsus immediatus predecessor noster: q̄ sede per ipsius obitum vacante venerabiles fratres nostri canonici ecclesię nostrę Cesaraugustanę cum quibusdam alijs prouidis viris totius diocesis sacerdotibus attẽdentes: q̄ licet circa diuini recitationem officij in eadem dio

cesi patram antiquorū plurimę regulę essent secundū sua tempora tam deuote q̄ salubriter magno diꝫestę consilio statutę. Quia tamen propter earundem multiplicationē et varietatem/cum diuersis temporibus/ꝛ a diuersis conditoribus essent ordinatę: plurima quotidie occurrentia dubia confusionem quandam/ materiamq̄ iurgiorum et disceptationū in ecclesijs inter clericos ministrabāt. Propter que in locis eisdem in quibus cum pace/ et quiete vota conuenit celebrari: multotiens seditiones/conclamationesq̄ ꝛ tumultus oriebantur: in maximam diuinę maiestatis offensam/et astantium scandalum populorum. Quorum nodos soluere/ perplexa decidere: ꝛ altercationes dirimere nimis necessarium et vtile arbitrantes: aliqua statuerunt: que ad ea efficiendum visa fuerunt necessaria. Sed quia vix adeo certum clarumq̄ statuitur: quin ex causis emergentibus in dubium reuocetur: necessarium etiam fuit: vt per nostrę declarationis suffragium aliqua ambigua tollerentur: ꝛ alia etiam de nouo ordinarentur: per que subditi nostri in eiusdem ecclesiȝ ordine debito cū pace et quiete sacrificium laudis fructum labiorum suorū offerrent altissimo: cum sit nimis decens et necessarium: vt cultus in pace factus est locus: eius cultus sit cum debita veneratione pacificus. Sancta igitur synodo approbante statuimus: vt omnes et singuli clerici subditi nostri tam in sacris constituti: q̄ in minoribus si sint perpetuo beneficiati: secundū ritum ꝛ regulas per nos de assensu eiusdē synodi ordinatas: et impressori cum kalendario vt cum eisdem breuiaria imprimat: mediante publico notario tradi tas: officia diuina diurna et nocturna tam in eisdem ecclesijs q̄ extra in puritate conscientię studiose pariter et deuote persoluere teneātur. Quia si p̄cipiem seculi rogaturus habitu honesto/gestu decenti/prolatione non precipiti: sed distincta/attenta quoq̄ mente se ipsum ac verba sua studeat componere: quanto diligentius omnipotentem ora-

turus deum/hec omnino facere curabit.

In cūctis igitur dictę nostrę dioceseis ecclesijs/in quibus horę cantantur in cōmuni (iuxta patrū Basilien sis concilij decretum: cuius tenor hic inseritur) horis debitis: signis congrua pulsatione premissis: laudes diuine per singulas horas non cursim aut festinanter: sed punctuatim/ ꝛ lente cum sua pausa decenti: p̄sertim in medio cuiuslibet versiculi psalmorum: debitam faciendo inter solemne/et feriale officium/differentiam: ab omnibus persoluatur.

¶ Horas vero canonicas dicturi: cum tunica talari/ac superplicijs mundis vltra medias tibias longis: et almucijs/vel capis iuxta temporum ꝛ locorum diuersitatem ecclesiam ingrediantur. Qui cum in choro fuerint: grauitatem seruent: quam et locus et officium exigunt. Non insimul/aut cum alijs confabulantes: aut litteras/vel scripturas alias legentes. Et cum psallendi gratia ibidem conueniant: mutā ꝛ clausa labia tenere non debent: sed omnes p̄sertim qui maiori funguntur honore: in psalmis/hymnis ꝛ canticis deo alacriter modulentur.

¶ Cum dicitur Gloria patri et filio et spiritui sancto: omnes resurgant: et cum nominatur gloriosum illud nomen Jesus: in quo omne genu flectitur/celestium/terrestrium/ ꝛ infernorum: omnes caput inclinent.

¶ Nemo ibidem dum horę in communi publice cantantur legat: vel dicat p̄uatim officium: nam non solum obsequium quo obnoxius est choro subtrahit: sed alios psallentes perturbat.

¶ Super his debite obseruandis alijsq̄ ad diuini officij prosecutionem ac chori disciplinam expectantibus: prior vel cui onus incumbit: diligenter inuigilet: hinc inde

ne quid inordinate fiat circumspiciens. Horum autē trās-
gressores illius horę in qua circa prędicta excesserint distri
butione: vel alia maiori prout grauitas exegerit culpę/ple
ctatur pena.

¶ Et qui in matutinis ante finem Venite exultemus: in
alijs vero horis ante finem primi psalmi: in missa ante vlti-
mum Kyrieleyson: vsqz in finem diuino officio non inter-
fuerit: nisi forte necessitate cogente: ac petita ⁊ obtenta a
prędidente chori licentia discedere oporteat: absens cense-
bitur pro illa hora. Saluis dictarū ecclesiarū consuetudi-
nibus vel statutis: si que forte circa hec arctiores existant.
Idem in his obseruetur: qui a principio vsqz in finem pro-
cessionibus nō perseuerauerint. Pro quorū executione depu
tetur aliqs onus habens personas singulas notandi: statu
to tēpore non cōuenientes: vel ante tempus recedētes: iu-
ramento astrictus fideliter agere: ⁊ nulli parcere.

¶ Horas vero dicentes extra chorum/ non in guttere/ vel
inter dentes/ seu degluciendo/ aut syncopando dictiones:
nec colloquia/ vel risus intermiscēdo: sed sine soli/ sine asso
ciati/ diurnum nocturnumqz officium reuerenter verbisqz
distinctis peragant: ac tali in loco/ vbi a deuotione non re-
trahātur. In qualibet horarum deuote premeditātes ea:
que idem pius dñs ⁊ redemptor noster passus est pro no-
bis. Nos enim ad hoc eosdem subditos dominis volētes spi-
ritualibus inuitare: oīnibus ⁊ singulis vere penitētibus ⁊
cōfessis qui cuilibet earū singulas crucis horas breues (q̄
a scrissimo dño nro dño Joāne diuina gra papa. xxij. dicī-
tur cōpositę) premiserint: tam in eisdem ecclesijs per eum
qui officiū est inceptur⁹ voce depressa intelligibili tamē:
q̄ extra p se ipsos: de ipsi⁹ oīpotētis dei misericordia: ac
beatorū apostolorū eius petri ⁊ pauli auctoritate confisi:
quadraginta dies de iniunctis eis penitentijs/ ⁊ vera pec-
catorū remissione pro qualibet die qua id egerint: miseri-
corditer indomino relaxamus.

¶ De clamdestina deportatione.

Animarū periculis que ex clamdestinoz matrimonio
rum contractibus a iure interdictis plerumqz proce-
dunt obuiare cupientes: monemus omnes ⁊ singulos tam
clericos simpliciter tonsuratos: q̄ alios quoscunqz p̄fide
les laicos vtriusqz sexus nrę dioceseos ne in eisdem aliquate
nus intersint: sub excōmunicationis late sententię pena.
Aqua ante realem solutionē quinquaginta solidorū iacē
sium per quem q̄ absolui non possint. Quorū vnam elemo
sinario nostro: aliam ecclesię matrici in cuius parrochia
deliquerint. Tertiam vero partem pauperibus verecun-
dis eiusdē parrochię: per eius curatū inter eos distribuē-
dis eiusdem aplicamus. Clamdestina in hoc casu intelligētes ma
trimonia: que tribus non precedentibus monitionibus in
cōtrahentium parrochialibus ecclesijs: quarū saltem vna
die dominica in missa conuentuali post offertoriū (vt moris
est) sit facta: aut alias ex nostra/ vel officialiū nostrorū dis-
pensatione contrahuntur.

¶ De accusationibus inquisitiōibus ⁊ de-
nunciationibus.

Ex quorundā multiplici subditorū nostrorū querella
percepim⁹: q̄ nōnulli ecclīastici iudices quoscūqz eos
de criminibus impetere volentes passim sine inscriptione
debita contra iuris regulas ad accusandū admittunt. Te-
stes quoqz in eisdem causis productos/ quos deberēt in pro-
prijs personis diligēter interrogare: procuratoribus fisca-
libus (qui vt plurimū in eisdē causis partē faciūt) aut no
tarijs/ vel alijs simplicibus psonis cōmittūt examinādos.
Fiscalesqz predicti quādoqz p̄sertim extra ciuitatem vbi
morā trahunt: notarium ⁊ nunciū ab eisdem secum de-
ferendo testes etiam sine aliqua saltem legittima cōmissio
ne super criminibus/ vel delictis per viam inquisitionis/
aut denunciationis: seu alterius summarię informatiōis
cōtra eosdē subditos recipiunt. Et qđ deterius est: cū dicti

esſent teſtes ſuper tota cauſa et pro vtraq; parte examinā-
di: dicti fiſcales ⁊ alij examinatores predicti/ contra reos/
ſeu infamatos tantū eos interrogantes: ſi quid in eorun-
dem fauorem deponere videntur: hoc in ſcriptis redigi fa-
cere obmittunt. Vnde plerūq; euenit vt inſontes nostri re-
putentur: aut ſaltem eorum opinio leſa remaneat: et labo
ribus/ ⁊ expenſis etiā ſi culpa non aſſit/ multipliciter gra-
nentur. Nos vero qui in eorundē ſubditorū odore bone fa
me/ delictorūq; immunitate: plurimū delectamur: pater-
na eos affectione fouere: ⁊ a dictis grauaminibus (prout
tenemur) releuare cupientes: preſenti in perpetuū valitu-
ra conſtitutione ſancta ſinodo approbante ſancimus: q̄
(⁊ ſi accuſator in probatione deficiens: cōſimili pena etiā
ſine inſcriptione/ qua reus probato crimine de iuris ſubti
litate veniret puniendus. Quia tamē plus id ad quod quis
expreſſe ſe obligauit: q̄ id ad quod tacite teneř/ timeri con
ſueuit) quicunq; de cetero citra fiſcum noſtrū aliquem cle-
ricum in ſacris cōſtitutum de crimine ſeu criminibus accu
ſare voluerit: teneatur ſe inſcribere ad penam talionis: cō-
traria quacunq; conſuetudine non obſtante: ⁊ proceſſus
aliter actitatus: ſit irritus ⁊ inanis. Cum non ſit via ape-
rienda per quā quis facile in talium proſiliat infamiā per-
ſonarū: fortiusq; punienda ſint crimina: que inſontibus
⁊ maxime ſacratis hominibus inferūtur. In eiſdem quoq;
cauſis p̄ncipalibus etiam ſi per viam inquiſitionis/ aut de-
nunciationis procedatur: officiales coram quibus ventila-
buntur: teneātur teſtes preſertim contra reum producen-
dos/ per ſe examinare. Cum regulariter in criminalibus
teſtes apud iudicem repreſentadi ſint: eorumq; receptio
vtroq; iure prohibente demādari non debeat. Niſi de par
tiū expreſſo conſenſu/ aut in alijs caſibus a iure permiſſis:
aliter ſit agēdum. Et tunc detur optio ipſi reo cōmiſſariū/
vel notariū quē maluerit eligēdi. Sed in cauſis in quibus
p̄curator nr̄ fiſcalis p̄ſe/ vel cū alio partē fecerit: ⁊ in alijs

ad ipſi⁹/ vel alterius cū eo inſtantiā promouēdis teſtiū etiā
ſuper crimiū infamia: aut per viam cuiuſcūq; ſummarie
informationis receptio: ne idem videatur eſſe actor ⁊ iu-
dex: ⁊ vt omnis exinde iniſtre ſuſpectionis tollatur occa-
ſio: quibuſcunq; fiſcalibus noſtris ſit omnino interdicta.
Cōmiſſarius vero ⁊ notarius predicti: quotieſcunq; ad eoſ-
dem teſtes in premiſſis caſibus recipiendos deſtinabūtur:
iurare ſint aſtricti ante q̄ ad eorū receptionē procedant: q̄
ita eos interrogabunt diligēter: eorumq; dicta complete
in proceſſu ſcribent pro parte rei/ inquiſiti/ denunciati/ ſeu
diffamati: q̄ contra. Nunciūq; ſecum ad eoſdem citādos/
vt partium parcatur expenſis deferre prohibemus: ſed eū
vbi teſtes erunt recipiendi: dictus comiſſarius creare te-
neatur. Teſtiū vero atteſtatiōes cōtra huiuſmodi noſtre
cōſtitutionis tenorē in aliquo recepte: nullius ſint momēti.

Gratioſum nos ſubditis noſtris in noſtro iocūdo in-
greſſu exhibere volētes: felicis recordatiōis dñi Alfō-
ſi inmediati predeceſſoris noſtri ⁊ aliorum quorūdam ſe-
quentes veſtigia: remittimus quecunq; crimina exceſſus
⁊ delicta per quoſcunq; clericos no[illegible]e dioceſis in ſacris
conſtitutos hucuſq; perpetrata: quo[illegible] noſtrū tantum et
fiſci noſtri intereſſe: iuxta tenorem cō[illegible]ſtitutionis vltimē
eiuſdem domini Alfonſi: ſub titulo de acuſatiōibus ſitua
te. Monemus tamen eoſdem/ ⁊ exhortamur in domino:
vt de cetero honeſte viuere ſtudeant vniuerſi/ quecūq; cri-
mina precauentes: ⁊ canonica cōcilij generalis ſtatuta/ q̄
ſuper eorum vita ⁊ honeſtate diſponunt: prouincialiaq; ⁊
ſinodalia diligenter obſeruātes: ſi diuinam ⁊ noſtram vo
luerint acrimoniā euitare. Sed precipue hoc agere procu-
rent illi: qui in partem noſtre ſolicitudinis paſtoralis ſunt
aſſumpti: quibus animarū cura eſt cōmiſſa: qui paſtorum
circa plebes eiſdem cōmiſſas ſimul et cuſtodum partes im-
plere tenentur: et coram ipſis laudabiliū operum exēplo
lucere. Vt illius cooperante clemētia/ qui vere paſtor ⁊ re

ctor agnoscitur: spiritualiũ ⁊ temporaliũ ita proficiant incrementis: quatenus de ecclesia benemeriti hic a nobis fauoribus ⁊ gratijs prosecuti: cum ipse in suspicabili hora vẽturus/inuenerit eos sic agentes: paradisi ianuas suorum recepturi premia laborum gaudentes introire faciat.

AD sanctę Cęsaraugustanę ecclesię regimẽ diuina disponente clementia meritis licet insufficiẽtibus vocati: inter quoslibet christi fideles subditos nostros ⁊ pręsertim nobiscum sub vno atq; eodẽ sacerdotij vexillo deo militantes: pacem ⁊ charitatẽ inducere/⁊ inductam confouere vigilanti studio meditamur assidue: ⁊ que his cõtraria sunt submouere: vt cuiusuis altercationis euulsis seminibus: pacis et tranquillitatis dulcedinẽ inter eos (diuina nobis assistente gratia) imponere ⁊ cõseruare valeamus. Nuper siquidem pro parte dilectorũ curatorũ et aliorum clericorum nostrę diocesis ad nostrũ peruenit auditum: q̃ nonnunq̃ inter eos in sinodorum congregatiõibus circa modũ et formã in eisdem seruandis suscitata fuerunt principis tenebrarũ astucia: nonnulla dissensionũ ⁊ discordiarum fomenta. Que nisi per pastoralis officij vigilantiam succiderẽtur: possent in futurum aliqua damna/pericula/⁊ scandala faciliter parturire. Nos vero illius immaculata vestigia (quantũ nobis ex alto conceditur) sequi desiderantes: qui dixit apostolis suis: pacem meã do vobis: pacem relinquo vobis. Uolentes super his oportune prouidere: hac in perpetuum valitura constitutione statuimus: q̃ de cętero quotienscunq; sinodus in dicta nostra diocesi erit congreganda: prouisis per nos vt moris est quattuor cõuocationis litteris tradantur ꝑ nostrũ secretariũ quattuor sedis nostrę videlicet Cęsaraugustañ. Daroceñ. Belchiteñ. ⁊ Turoleñ. archipresbyteris: vt eas quilibet in suo archipresbyteratu per nuncios nostros iuratos sub penis arbitrio nostro reseruatis singulis curatis: et ipsi singulis alijs sacerdotibus ecclesię suę beneficiatis intimare: et

de modo et ordine congregandi synodum/

ꝑ eosdẽ nuncios simul oĩum dictoꝝ curatorũ relatiõibꝰ ad diem statutã nobis reportare faciãt/⁊ teneant. Quia licet ad ꝓuincialia cõcilia prelati ⁊ cathedraliũ collegiatarũq; ecclesiarũ tantũ vocent capl'a. Ad sinodalia tñ sacerdotes singuli/⁊ p̃sertim curã aĩarũ habẽtes: q̃ in ꝑtẽ nr̃ę solicitudinis pastoralis sunt assũpti: ⁊ alij perpetui bñficiati ⁊ clerici sũt vocãdi. Si tñ archipresbyteri p̃dicti/aut eoꝝ aliq̃s a dicta ciuitate fuerint absentes: nec eoꝝ loca tenẽtes q̃ premissa adĩplere valeãt/ibidẽ reperiant: absentiũ vices suis expẽsis supleant officiales nr̃i: videlicet p̃ncipalis in cesaugustaneñ. ⁊ foranei q̃libet in suo archip̃sbyteratu. Ad diẽ aũt statutã oẽs vocati ⁊ p̃sertim ip̃i curati (prouisis tñ suis ecclęsijs de seruitio cõgruẽti) in loco in quo sinodꝰ erit celebrãda/cõueniãt. Decet enĩ vt pastor pecoris sui vultũ agnoscat. Nec ꝑ archip̃sbyteratꝰ aut alias cuiusq̃ auctoritate ad cõstituendos generales ꝓcuratores: aut ad aliquos alios actus insimul congregentur: cum non liceat alicui dictam sibi in nostra diocesi auctoritatẽ vsurpare: que ad nos tantum qui capud totius eiudẽ cleri sumus/pertinere dignoscitur. Contra vero presumentes: in ducentorum ducatorum penam nostris ęrarijs aplicandorum ipso facto incurrant. Post primam tamen sessionem liceat eis in dicto loco per archipresbyteratus (quotiens oportuerit) insimul conuenire: et quattuor personas (vt fieri est assuetum) de abilioribus in moribus et litteris et honorabilioribus cuiuslibet archipresbyteratus eligere: qui expensis omniũ (moderatis tamẽ decem solidos pro eorum quolibet dietim non excedẽtibus) cum dei timore circa agenda nobis assistere valeant/consiliũq; prebere: duo videlicet de perpetuis curatis/et duo de simpliciter beneficiatis. Inter quos si canonici nostrę cathedralis ecclesię et beatę Marię de pilari: collegiatarũq; principalium Daroceñ. Alcaniceñ. Turolñ. ⁊ de Mora assint: preferantur ex eisdem ecclesijs singuli qui in eis abiliores circa premissa esse con-

mitiꝰ limitatur et corrigitur fol. 131. pag. 2. ⁊ prehensibile

sueuerũt. Canonicatusq3 omni alio bñficio simplici hono=
rabilior est: et cathedralis ecclesie preceteris/quos alij om=
nes procuratores constituant. Non tamen propter hoc ex
cludere intendimus illos: qui proprijs expensis ibidem re
manere voluerint. Cum procuratorum constitutio libera
esse debeat: integrũq3 sit iudicium: quod plurimorũ sentẽ
tijs cõfirmatur. Circa vero diuinorũ celebrationẽ predica=
tiones/lectiones/ꝛ allocutiões in publicis sessionibus: ser
uetur ad vnguem ordo: qui in pontificali continetur. Ee=
dẽ tamẽ sessioes (vt in eis cõuenientiũ ꝛ dicti cleri parcat la=
boribus et expensis) trium numerum cum decem dierum
interuallis non excedant. Nisi aliqua superueniente ne=
cessitate eadem interualla bis per nos cum totidẽ dieꝝ spa
cijs prorogẽtur: quoꝝ oĩum sũma viginti vnũ nõ excedat.
Quibus elapsis dicta sinodus licenciata intelligat: ꝛ vni=
cuiq3 petita a nobis venia sit licitum ad propria redeundi.
In eisdem autem publicis sessionibus sedeant primo Ab=
bates: et post eos promiscue ad vtrumq3 latus nostrũ prio
res: canonici ꝛ alij in dignitate constituti ecclesie nostre ca
thedralis predicte: et beate virginis Marie de pilari ordi=
ne quo in choro sedere: ꝛ in processiõibus incedere cõsueue
runt. Consequẽter vero sedeant priores dictarũ collegia=
tarum ecclesiarũ principalium: et post eos/aliarum. Dein=
de sedeant promiscue plebani/canonici/rectores/perpetui
vicarij parrochialium ecclesiarũ. Successiue sedeant pre=
dictarũ et aliarum ecclesiarũ perpetui portionarij: et post
eos alij simplices beneficiati/seruitores ꝛ alij sacerdotes
non beneficiati: sibi inuicẽ cũ modestia deferentes ordine
quo duo magistri cerimoniarũ a nobis deputandi dux=
rint statuendum. Cum autẽ inter sessiones pro parte dicti
cleri erit nobiscum/vel cum alijs aliquid cõsultandum: eli=
gantur ad hoc duo de abilioribus (nullo habito respectu
ad ecclesias) qui sciant ꝛ possint ꝛ nobis ꝛ ipsis que fuerint
necessaria referre: singuli videlicet de quolibet archipres=

de ordine sedẽdi in synodo

byteratu per clericos vel sindicos eiusdem. Idem quoq3 in
collectorum charitatiui subsidij quotiens nobis erit pre=
standum: et calculatorum ad recipiendas et examinandas
eorundem ꝛ aliorum administratorum pecuniarum com=
munium dicti cleri rationes/electione/ꝛ nominatione ser
uetur. Nam cum dicti cleri periculo sit colligendum/eligẽ
di quos maluerint: liberam habere volumus facultatem.
Illos tamen sic electos nobis per electores presentari mã=
damus ad commissiones recipiendas: sine quibus indi=
ctum charitatiuum subsidium soluere/ et rationes redde=
re recusantes/censuras fulminare non possent.

¶ De penitentijs ꝛ remissionibus.

AD euitandos plurimos excessus quos laici questores
tam in ecclesijs ꝙ extra plerumq3 committunt in diui
ne maiestatis offensam ꝛ scandalum plurimorum: de toti
us sinodi assensu statuimus: ꝙ nullus curatus nostre dio
cesis aliquem elemosinarum questorem laicum (etiam si
a nobis vel officialibus nostris litteras deferat) ad elemo
sinas petendum pro aliqua ecclesia/capella/conuentu/aut
quocunq3 pio loco in sua parrochia sub quinquaginta so=
lidorũ pena admittere possit. Et si eas dictus laicus pete=
re attentauerit: exigantur ab eo sub eadem pena ꝛ leuen=
tur in ecclesiarũ sue parrochie fabricã conuertendas: inuo
cato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis. Adijciẽ
tes ꝙ queste in predecessorum nostrorum constitutiõibus
matriculate: quarum prouisiones ꝛ licentie in eisdem re=
periuntur taxate: preferãtur in petendis elemosinis: ibi=
dem non taxatis.

sup. fol. 99 pag. 2 et fol. 73 pag. 1 et 2 / fol. 132 pag. 2.

Questor laicus non admittatur etiam cum litteris nostris vel officialium

¶ De sententia excõmunicationis.

QUoniam experientia rerum magistra docente laicos
hodie plus solito in nostra diocesi clericis esse infestos
frenaq3 ad illicita laxare: et propterea censuras et penas
in quibusdam apostolicis litteris felicis recordationis do
mini nostri domini Alexãdri diuina gra: pape. vj. expressas

sup. fol. 10. pag. 2 verum

sępe incurrere (earum ignorantiam ad excusandas excusationes in peccatis prętendentes) non sine dolore perpendimus. Eas (licet alias in nostra Cesaraugustensi ecclesia solenniter publicatę fuerint) vt ab omnibus de eisdem copia possint habere ad magis eorũdem maliciam conuincendam: hic inseri mandauimus. Quarum tenor sequitur in hęc verba.

Lexander episcopus: seruus

seruorum dei ad futuram rei memoriam. Superne dispositionis arbitrio quo celestia pariter et terrena ineffabili prouidentia disponuntur: super gregem dominicũ nostrę imbecillitati cõmissum/speculatoris officium prout ex alto nobis conceditur gerentes: ad ea aciem nostrę considerationis extendimus: per que personę ecclesiasticę/earumq; res τ bona ab oppressionibus/detrimentis/atq; incõmodis quibuslibet releuentur: earumq; indemnitatibꝰ salubriter succurratur: et delinquentes oĩibus sublatis obstaculis dignę correctionis verbere castigentur. Olim siquidem cum lamentabilis multorum querella felicis recordationis calixti papę tertij predecessoris nostri frequenter turbasset auditum: q; in regno Galicię tanta (prochdolor) seuitia et inhumanitas apud quosdam inualuisset: vt pro auaricię et peruersę voluntatis eorum satianda ingluuię/alios ad hoc premijs/seu muneribus inducendo assassinorum more sanguinem innoxium funderẽt. Et nonnũ quã etiam per insidias plures tam ecclesiasticas q̃ seculares personas crudelis mortis precipicio interimerent: aliorũq; res τ bona caperẽt. Possessiones/agros/fruges/τ domos in villis/seu ruralibus locis: insidijs etiaz nocturnis depopularẽtur/deprędarenturq; : colonos τ agricolas captiuarent: captiuos taliarent/τ exactionarent: metuq; et pro redimenda eorum vita/omnem substantiaz: aut illius partem exigerent: eosq; τ alios tumentis et animalibus suis spoliarent. Et quandoq; illorum filios τ familiares abducerent: et vt per illos parentum substantiam exhaurirent: ipsorum membra aliquando vnum vel plures digitos: interdum alta membra inciderent/donec consequerẽtur/quod ab eis tradi requirebant. Ecclesias insup τ monasteria frangentes illa violenter intrantes/eorum bona diripiebant/aliaq; grauora τ nefandissima scelera in christi vtriusq; sexus fideles exercere. Ac talia cõmittentes in eorum sceleribus sustinere/τ scienter tollerare minime formidarent: nõ curantes (quãtis possent/et deberent) factis nora huiusmodi prohibere. Alij etiam auxilium/consiliũ/vel fauorem eis prestantes ilos tuerẽtur: ne tanti excessus cohiberi possent. Quodq; propter temporalis domini siue regis eiusdem regni absentiam eius officiales (inordinatis fauoribus/aut partialitatibus causantibus) scelera prędicta interdum punire nequirent/vel negligerent: in non modicum christiane religionis opprobrium τ scandalum plurimorũ. Premissa sub dissimulatione absq; dei offensa prętterire non valens: motu proprio τ ex certa scientia eisdem sacrilegis et delinquẽtibus sub pena maledictioni eterne apostolica auctoritate mandauit: vt de cetero similia attẽtare nullomodo presumerent: ac voluit et decreuit: q; omnes τ singuli cuiuscunq; status/gradus/ordinis/aut condictionis forent: aut quauis mundana/vel ecclesiastica dignitate fulgerent: qui talia et similia facerẽt: illorũq; receptores/eisq; auxilium/consilium/vel fauorem quouismodo prebentes: ipso facto a summo deo patre filio et spiritu sancto: necnon ab ipso Calixto predecessore maledicti essent: τ ipse deus omnipotens eos velociter proderet: ac quicunq; sacrilegorum et delinquentium prędictorum excomunicationis et anathematis sententijs subiacerent. Jus patronatus et feuda que ipsi ab ecclesia tenerẽt/amitterent: et a censuris prędictis nisi satisfactione preuia/τ in

mortis articulo: absolui nō possent. Eosq; ꝑ excōmunica-
tis haberi volens: ipsos a fidelium consortio separauit. Et
ipsos insuper eorumq; receptores/ auxiliatores/ defenso-
res/ consiliatores/ atq; fautores: non tantum a iure et in
die iouis sanctę in cena domini/ tam per predecessores in
hereticos et alios facinorosos promulgatis: q̄ per succes-
sores suos promulgandis sentētijs voluit innodari. Prę-
terea omnes et singulas ciuitates/ tęrras/ castra/ opida/
villas/ ⁊ loca ad que dictos sacrilegos/ criminosos/ rece-
ptores/ auxiliatores/ defensores/ consiliarios/ ⁊ fautores
declinare contingeret: post habitam premissorum noticiā:
ecclesiastico supposuit interdicto: qđ nullus prętercq̄ idem
Romanus pontifex tollere posset: nisi precedente debita
satisfactione. Similibusq; motu scientia et auctoritate di
strictius inhibuit: ne quisq̄ sacrilegis: vel criminosis prę-
dictis: aut eorum alicui adherere/ fauere/ seu cum eis ali-
quid tractare auderet: quinimo pro viribus prohiberet:
nequis eis panem/ vinum/ bladum/ equos/ carnes/ arma/
currus/ seu quecunq; victualia: pecunias/ merces/ receptū/
passagium/ transitum/ aut res aliquas que in eorum cōmo
dum cedere possent: ⁊ per que in suis confouerentur crimi
nibus deferre: portare: dare: concedere: vel eis mutuare:
vel ab ipsis predas/ aut aliquid emere: seu alias qualiter-
cunq; recipere: vel in premissis fauere quoquomodo prę-
sumeret. Alioquin omnes et singuli qui contra prę̄missa
temere et scienter facerent: seu attemptarent: eandem ex-
cōmunicationis sententiam incurrerent ipso facto. Aqua
pariformiter prętercq̄ in mortis articulo vt prefertur: absol
ui nequirent. Et successiue criminosos et sacrilegos rece-
ptores: fautores: ⁊ alios supradictos: omnibus et singu-
lis priuilegijs libertatibus et immunitatibus realibus et
personalibus apostolica: regia: vel alia quauis auctorita-

te concessis eisdem: necnon feudis: bonis: honoribus:
officijs: iuribus: et iurisdictionibus que a Romana/ vel
alijs ecclesijs: ab imperatore/ rege: seu quibusuis alijs
haberent: sententialiter decreuit esse priuatos. Que ni-
hilominꝰ conferri posse et debere voluit: per eos ad quos
illa legittime pertinerent.

Et deinde sicut pie memorie

Paulus papa secundus etiam predecessor noster: pluri-
morum receptis clamoribus: fide dignorumq; relatibus:
immo quadam fame notorietate didicerat: q̄ idem sacrile
gi: facinorosi: ⁊ nonulli alij laici in ipso Galicię alijsq; Ca
stellę ⁊ Legionis regnis atq; dominijs commorantes: non
solum premissa nequiter perpetrare: et in eorum flagitijs
insordere non verebantur: sed mala malis addentes con-
federationes: coniurationes: et conspirationes aduer-
sus clerum: ecclesias: et pia loca ecclesiasticam libertatem
non absq; sacrilegij/ et heresis nota facientes et annuen-
tes: decimas: primicias: oblationes: funeralia: et alia iu-
ra parrochialium ecclesiarum regnorum eorundem: recto
ribus et perpetuis beneficiatis in eisdem et alijs pijs ⁊ ec-
clesiasticis locis atq; personis de iure et priuilegio/ anti-
qua et approbata hactenus pacifice obseruata consuetudi
ne: etiam a tempore cuius contrarij memoria hominum
non existit/ debita: et retroactis temporibus solui consue-
ta: contra iusticiam et laudabilem consuetudinem ante di
ctam soluere indebite recusarent: et impudenter recusa-
bant: verum etiam eisdem rectoribus beneficiatis eccle-

siasticisq; personis regnorum ⁊ partium predictarum: pro
vt inter se conspirauerāt: hospicium/panem/vinum/⁊ alia
ad vsum ⁊ vitam hominum sustentandā necessaria/etiam
oblato precio denegare presumebant. Granum ipsorum
molere: panes coquere: et alia seruitia eis exhiberi solita
impendere/et impendi facere renuebant: et ab ipsorum re-
ctorum cōsortio/vel cōmertio abstinentes: sacramenta ec-
clesiastica non recipiebant: et contra prohibitiones cano-
nicas diuersis ordinum regularium quamuis mendican-
tium professoribus et apostatis/etiam tempore interdicti
sibi damnabiliter faciebant ministrari. Rectores vero ⁊ be
neficiatos predictos quibus oblationes et prouentus de-
bitos et consuetos: vt illos dictis professoribus et aposta-
tis tribuerent/subtrahebant. Plerumq; ab ipsorum locis
et domibus proprijs defacto eijciebant/capiebant/et car-
ceri detrudebant: atq; ad castrorum excubias: et alias di-
uersas angarias subeundas: viarum discrimina pro eorū
peragendis negocijs compellebant: contumelijs/iniurijs/
diuersisq; molestijs afficiebant. Ipsorum et ecclesiarum
bona diripiebant/⁊ inuadebant. Quandoq; vero iurisdi-
tionem ecclesiasticam in plerisq; locis sibi temere vsurpā-
do: res et bona ecclesiastica de facto sequestrabant. In ip-
sis quoq; regnis ac dominijs nonnulli Duces/Marchio-
nes/Comites/Barones/milites: alieq; etiā sex⁹ feminei
personę temporale dominium obtinentes: eorumq; offi-
ciales seculares: magistri/et priores/preceptores militia-
rum sancti Jacobi de spata: hospitalis sancti Joannis hie
rosolimitani/de Calatraua/⁊ Alcantara: nonnulleq; alię
tam ecclesiasticę q̄ seculares personę eandem ecclesiasticā
libertatem infringere satagentes/exquisitis modis impe
diuerant: et impediebant. quominus venerabiles fra-
tres nostri Archiepiscopi/et episcopi: ac dilecti filij ecclesia
rum capitula: studiorum vniuersitates/ecclesiarū ⁊ fabri-
carum rectores/abbates/priores/conuentus/atq; benefi-

ciati in eisdem regnis commorātes: decimas: primicias:
fructus: redditus: prouentus ad se ⁊ ecclesias eorūq; men
sas/prioratus: ⁊ fabricas: tam de iure q̄ de approbata cō
suetudine siue alias legittime pertinētes: ⁊ in ipsis regnis
⁊ dominijs consistentes personis cum quibus suarum ec-
clesiarum: monasteriorum: ⁊ locorum ecclesiasticorum con
ditionem meliorem efficere: ad firmam seu annuam pen-
sionem locare seu arrendare possent/vetabant. Et plerūq;
decimas ⁊ fructus predictos transportari a locis vbi nascū
tur: ⁊ ad domos ⁊ horrea in quibus recondi solebant: aut
alia loca infra regnorum eorundem limites cōsistentia ve-
tando. Locari atq; cōmodari domos ⁊ vasa ceteraq; vten-
silia/vel instrumēta in quibus decimę: primicię: fructusq;
predicti reponi aut conseruari valebant: prata pro anima-
alibus illos colligentium nutriendis ad effectum vt deci-
mę: primicię: fructus: et prouentus predicti sibi: vel alijs
personis eis acceptis pro minoribus pensionibus seu pre-
cijs concederentur et arrenderentur. Colonis vero vassal
lis ⁊ subditis suis et arrendationes huiusmodi interdum
recipientibus ne pensiones precia Archiepiscopis/episco-
pis: ⁊ alijs personis predictis persoluerent: ⁊ de eis satisfa
cerent: vt tenebantur inhibendo. Et ne decimę: primicię:
fructus: redditus: ⁊ prouentus huiusmodi ab ipsis prela-
tis ⁊ ecclesijs cum integritate colligi ⁊ percipi valerēt: ma-
liciose obsistendo: contra arrēdatores ⁊ colonos ⁊ eorum
vassalos ⁊ alios non soluentes in eorum dominijs cōmo-
rantes procedi exigente iusticia non permittebant. Et ne
citationes: mandata: sententię: censurę: ⁊ penę per loco-
rum ordinarios eorumq; officiales/⁊ alios iudices in ta-
les rite prolatę: ac super eos decreti processus in dictis do-
minijs intimarentur: publicarentur: ⁊ executioni debite
demandarētur: calliditate sacrilega magistros seu domi-
nos personarum ⁊ bonorum atq; reddituum ecclesiastico-

rum se constituebant. Ita q̄ inter eos tute ꝛ libere cōmo-
randi facultas non suppetebat ecclīasticis viris. Neq̄ de-
cimas fructusq̄ prędictos colligere et recondere (habita-
tionum et locorum cōmoditate detracta) neq̄ vti solebāt
trasportare liceret: aut emptores: neq̄ qui ad firmam pē-
sionem eos reciperent: non reperiebant. Et si quos forsi-
tan reperiri contingebat: vetabāt eos ne precia soluerent:
eorum nequitia impugnante. Et quoniam q̄plurima etiā
am scelera/sacrilegia atq̄ delicta perpetrare minime for-
midabant: in grauem diuinę maiestatis offensam: ecclesia
sticę libertatis oppressionē: fidei catholicę perniciem: ani-
marum suarum periculum et etiam detrimentum: prefa-
tus Paulus predecessor tam plurimorum clamoribus et
querellis q̄ fide dignorum testimonijs et notorietate pre-
dictis sępius excitatus: ꝛ de premissis certior effectus: at-
tendens q̄ nisi correctione debita arcerentur: grauiora po
terant verisimiliter detrimenta producere: conniuentibus
oculis sub dissimulatione non valens (prout nec debebat)
multa preterire: et tam nepharios et sceleſtos homines
sub spe reductionis atq̄ emendationis vite/vel impetitio
nis venie amplius equanimiter sustinere: eiusdem Calix-
ti predecessoris vestigijs inherendo: ac litteras ipsas ratifi
ficando/approbando/ꝛ innouando: easq̄ vim et vigorem
imperpetuum obtinere decernendo/vt his adesset tutela
iusticię: qui diuinis laudibus deputati: malignorum affli
gi molestijs dignoscuntur. Presertim cum prędicta eccle-
siasticam libertatem ac dignitatē: totusq̄ ecclesię statum
pertingant, Ne sit in potestate personarum laicarum vi-
ros ecclesiasticos cogere: non pro suo nutu: sed ementium
arbitrio/suos prouentus distrahere ꝛ locare. Motu scien
tia et auctoritate similibus/omnes et singulos facinoro-
sos ꝛ sacrilegos boies antedictos: eisq̄ auxiliū/cōsiliū/vel
fauorē directe/vel indirecte: publice/vel occulte: quouis q̄-

sito colore prebentes: cuiuscunq̄ dignitatis/status/gra-
dus/ordinis/conditionis/existerent: qui in suis sceleribus
et excessibus et sacrilegijs huiusmodi pertinaci et rebelli
animo perdurare: ꝛ contra litterarum apostolicarum Ca-
lixti predecessoris eiusdem continentiam in eis perseuera
re presumerent/ꝛ presumebant: promulgatas ab ipso pre-
decessore Jesu christi vicario sententias/censuras/ꝛ penas
in ipsis litteris contentas incurrisse: et a cetu ꝛ vnitate fi-
delium tanq̄ membra putrida excluſos et segregatos esse
ꝛ fuisse declarauit. Et insuper eos et eorum quēlibet atq̄
omnes alios et singulos contra sacrosanctam dei ecclesiā
et ecclesiasticam libertatem conspiratores: ꝛ in suis sacri-
legijs et excessibus supradictis/vel similibus perseueran-
tes: atq̄ decimas/vel primicias diuino iure concessas a
deo: cuius orbis terrarum et plenitudo eius existit: nec
non oblationes/ꝛ funeralia de iure/vel de cōsuetudine sol-
ui cōsueta: atq̄ oia alia ꝛ singula bona/iura/fructus/red-
ditus: et prouentus tam parrochialium ecclesiarum ear-
dem: q̄ altarū quālibet: vel beneficiorū ecclesiasticorū sub-
trahere/diripere/vsurpare: eaq̄ seu ecclesiarū prędictarum
rectores: aliasq̄ ecclesiasticas cuiuscunq̄ dignitatis/status/
gradus/ordinis/vel conditionis forent personas: inuade-
re: vel a propijs domibus: seu locis expellere: aut depor-
tare: proscribere: capere: captiuare: seu ipsis atroces iniu-
rias irrogare: aut contra eos vel eas: seu ecclesiasticam li-
bertatem conspirationes: coniurationes: coniunctiones:
et federa inire: ac facere vt eisdem personis ecclesiasticis
inter cętera hospicium: panis: vini: et alia humanis vsi-
bus necessaria prohiberent: seu granū ipsorū nō molerent:
vel panes coquerent: vel humana cōmertia: vel partici-
tio seu cōuersatio denegaret: necnon ecclesiarū parrochia-
nos qui ab illorū rectoribus sacramēta nolebant iuxta ca-
nonicas sanctiones recipere: seu huiusmodi sacramen-

ta ab alijs religiosis pręsertim in festo resurrectionis do-
minice sibi ministrari faciebant: et procurabant: et simi-
liter Duces / Marchiones / Comites / Barones / Mili-
tes / mulieres / atq; alias personas tęporale dominiū obti-
nentes: eorumq; officiales huiusmodi: magistros quoq;
priores / pręceptores / et fratres militarum ordinum pręd-
dictorum atq; omnes alios ⁊ singulos tam ecclesiastici or-
dinis q̄ secularis: qui Archiepiscopos / episcopos / capitu-
la / vniuersitates / fabricarum et ecclesiarum rectores / ab-
bates / priores: et alios beneficiatos impediebant: quo-
minus decimas / primitias / fructus / redditus / ⁊ prouen
tus ad se / vel ecclesias / mensas / fabricas: vel pia loca spe
ctantes locare: ⁊ ad firmam seu annuam pensionem con
cedere seu arrendare valerent / impediebant: aut domos
et vasa ad reponendum illos: ac pro eorum animalibus
prata ex consimili conspiratione / aut alia prauitate loca-
re: arrendatores: vassallos: et alios non soluentes pu-
blice vel occulte: directe vel indirecte moneri / citari / excō-
municari / interdici / aut executari non permittebant: ⁊ eo
rum quemlibet monuit / ⁊ requisiuit: in virtute sanctę obe
dientię pręcipiendo mandans: quatenus infra sexaginta
dierum spacium a die publicationis litterarum desuper cō
fectarum etiam per transsumpta auctentica valuis cathe-
dralium et altarum collegiatarum / seu parrochialium ec-
clesiarum ciuitatum et locorum regnorum predictorum si
commode fieri valeret: alioquin vicinorum eisdem / ex qui
bus verisimilis coniectura existeret: q; ad ipsorum notici-
am deduci valeret: computandorum: quorum viginti pro
primo: viginti pro secundo: ⁊ reliquos pro tertio vltimo ⁊
peremptorio termino eis et eorum cuilibet assignando: a
premissis omnibus et singulis resipiscerent: ac de damnis
iniurijs ⁊ expensis illis quorum interest: debitam satisfa-
ctionem impenderent: ac talia de cętero nullatenꝰ atten-

care presumerent: quinimmo de eisdem decimis: primi-
tijs / oblationibus / funeralibus / fructibus / redditibus /
prouentibus: ⁊ alijs iuribus eisdem rectoribus et personis
et locis ecclesiasticis debita: cum integritate quemadmo-
dum ęatenus consuetum erat: omnino responderent: et
quantum in eis foret: facerent ab alijs responderi. Ita etī
am vt iuxta tenorem litterarum Calixti predecessoris: hu-
iusmodi omnia ⁊ singula in eis contenta studerent effica-
citer adimplere. Alioquin si dicto termino elapso a predi-
dictis non desisterent: et monitionibus et mandatis hu-
iusmodi non parerent cum effectu: omnes et singulas sen
tentias: censuras: et penas ab eodem predecessore vt pręmittitur promulgatas: quas ipse Paulus prędecessor so-
lenniter motu / scientia / et auctoritate prędictis in faci-
norosos / conspiratores / sacrilegos antedictos / fautores /
contumaces et rebelles: et ipsorum singulos etiā promul-
gauit: eo ipso incurrerent: et a communione omnium fide
lium tamdiu abcisi et seperati existerent: donec resumpto
spiritu consilij sanctoris resipuissent a premissis: et ab eisdē
censuris / sententijs / ⁊ penis: absolutionis beneficium me
ruissent obtinere. Ęterum quia parum fuisset promulga
ri censuras: nisi statutis locis atq; temporibus publicaren
tur / insinuarentur: et executioni debite demandarentur:
quominus pro tam grauibus enormibusq; delictis condi-
gnę penę coequari non possent: eisdem Archiepiscopis /
Episcopis: et alijs tunc expressis in Galicię aliisq; regnis
et dominijs predictis constitutis commisit et mandauit:
quatenus eius litteras seu earum transsumpta auctentica
vbi et quando expedire censerent: seu pro parte eorū quos
dictum concernebat negotiū / super id foret requisiti: sin-
gulis diebus dominicis ⁊ festiuis: dū maior populi mul-
titudo conueniret ad diuina: solenniter publicarent prędictos pertinaces quoslibet: qui ipsius pauli prędecessoris

mandatis efficaciter obtẽperare forsitan recusassent: aut neglexissent: tamdiu excommunicatos anathematizatos/ interdictos: ⁊ a christianorum cetibus veluti ab omnipotenti deo/ eiusq; indubitato vicario maledictos penitus dismenbratos/ ⁊ eiectos publice denunciarent: facerentq; ab alijs nunciari: ⁊ ab omnibus artius euitari. Ipsumq; interdictũ strictissime obseruari: donec ad cor reuersi cecitate deposita meruissent beneficium absolutionis ab eodem Paulo predecessore vel successoribus suis canonice intrantibus obtinere. Et nihilominus legittimis per eos habẽdis seruatis processibus: ipsos quotiens expediret: aggrauare curarent. Inuocato ad premissa si opus foret: auxilio brachij secularis. Et quoniam difficile aut periculosum esset ipsius Pauli predecessoris litteras ad singula dictorum regnorum loca pro publicatione earum facienda deferri: voluit atq; decreuit: q̃ earum transsumptis rite confectis vbicunq; exhibita vel ostensa forent: fides adhiberetur indubia. Quodq; monitiones et publicationes huiusmodi perinde artarent monitos atq; alios supradictos: ac si eis personaliter ⁊ legittime insinuata fuissent: put in singulis litteris predictis (quarum tenores ac si presentibus de verbo ad verbum inserti forent: habere volumus pro expressis) plenius continetur.

Cum autem sicut fide dignoꝝ relatione nobis innotuit: et crebro iamdudum rumor nostrum pulsauit auditum: in ciuitate et diocesi Cesaraugustana: quam plurimi sacrilegi et faciuorosi a quorum oculis dei timor abcessit: similia vel grauiora perpetrare minime formidant: et cause ob quas tam a Paulo q̃ ab eodem Calixto predecessoribus prefatis litterę huiusmodi emanarunt sub esse noscantur. Pluraq; alia scelera/ facinora/ et delicta: atq; oppressiones in personas ecclesiasticas: earumq; ecclesias/ monasteria/ vassallos et subditos: necnon decimas/ primicias/ res/ et bona comitantur indies: pro quibus cohibendis reprimendisq; ne peramplius inualescant: sententię: censurę: et penę in predictis litteris contentę sunt plurimum oportunę. Nos qui in exhibitione iusticię sumus vnicuiq; debitores: nolentes pro vt nolle debemus: nec etiam sana conscientia possumus: q̃ tanta tamq; enormia ⁊ altissimo displicentia excessus ⁊ crimina remaneant impunita. Calixti ⁊ Pauli predecessorum eorundem vestigijs inherentes: ac litteras predictas saltem ad effectum presentium harum serie innouantes/ ⁊ approbantes: illas cum omnibus et singulis sententijs/ censuris/ ⁊ penis videlicet tam maledictionis/ excommunicationis/ et interdicti: necnon alijs in eisdem contentis clausulis pro eisdem et similibus alijs criminibus/ facinoribus/ sceleribus/ ⁊ delictis in eisdem litteris expressis: et deliquentium siue talia/ vel similia/ aut grauiora perpetrãtium personas: ad ciuitatem et diocesim Cesaraugustanã predictas auctoritate apostolica tenore presentium extendimus: pro excessuum et criminum punitione et correctione: ac si ab eisdem predecessoribus emanassent: et ab initio ad ciuitatem et diocesim Cesaraugustanam huiusmodi se extendissent/ decernimus et declaramus. Et ne quisquã litterarum predictarum ignorantiam pretendere possit: venerabilibus fratribus nostris Tirasonensi et Oscẽsi episcopis: ac dilecto filio officiali Cesaraugustano per apostolica scripta motu simili mandamus: quatenus ipsi vel duo/ aut vnus eorum per se: vel alium/ seu alios: presentes et in eis insertas litteras earumq; transsumpta (quibus rite confectis fidem indubiam sicuti originalibus litteris adhiberi volumus) ac omnia ⁊ singula in eis contenta vbi et quando expedire viderint: ac pro parte interesse habentium requisiti fuerint: solenniter publicantes: om-

nes et singulos facinorosos delinquentes/pertinaces/rebelles: ac quoscunq; in eisdem litteris comprehensos: qui mandatis nostris huiusmodi cum effectu obtẽperare recusauerint/vel neglexerint: tam diu excommunicatos/anathematizatos/interdictos/maledictos/et a christianorum cetibus electos et expulsos publice nuncient: faciantq; ab aliis nunciari: ac ab oĩbus artius euitari: interdictum q; strictissime obseruari: donec corditis duricia et cecitate depositis: meruerint absolutionis beneficium a nobis/vel successoribus nostris canonice intrantibus obtinere. Et insuper legitimis per eos: aut eorum quemlibet habendis processibus quotiens eis visum fuerit expedire: illos aggrauare procurent. Inuocato ad hoc si opus fuerit: auxilio brachij secularis. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis: ac omnibus illis etiam si de necessitate exprimi deberent: que Calixtus et Paulus predecessores prefati in dictis eorum litteris voluerũt non obstare: ceterisq; contrarijs quibuscunq;. Nulli ergo omnino hominum liceat: hãc paginam nostre innouationis: approbationis: extensionis: decreti: declarationis: mandati: et voluntatis infringere: vel et ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemtare presumpserit: indignationem omnipotentis dei: ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quingentesimo: quarto decimo kalendas Ianuarias. Pontificatus nostri anno nono.

